

# **Dissertatio medica inauguralis de lethargo ... / [Johann Georg Volckamer].**

## **Contributors**

Volckamer, Johann Georg, 1662-1744.  
Universität Altdorf.

## **Publication/Creation**

[Altdorffii] : Typis Henrici Meyeri, [1684]

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/d4673utz>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

J. J.

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

*De*

LETHIARGO

*Quam*

Divino Annente Numine,

*ex*

DECRETO atq; CONSENSU

*GRATIOSISSIMI*

ORDINIS MACHAONII  
ALTDORFFINI

PRO LICENTIA

Summos in MEDICINA HONORES

atq; PRIVILEGIA DOCTORALIA

acqvirendi

*Publico Philiatrorum Examini*  
*submitte*

*Pridie Calend. Octobr. A. E. C. M DC LXXXIV.*

JOH. GEORGIUS VOLCKAMERUS,  
Norimbergensis.

---

*ALTDORFFI,*

Typis HENRICI MEYERI, Universit. Typographi.

APR 20 2010

COLLECTED

ESSAYS AND OPINIONS

BY JAMES FENIMORE COOPER

EDITION ARRANGED AND EDITED  
BY RICHARD H. STODDARD

WITH A HISTORY OF THE AUTHOR

BY JAMES FENIMORE COOPER

BY JAMES FENIMORE COOPER

A. Ω.

**S**OMNUM antiquitas Deum finxit, ejusq; au-  
lam soporiferam Ovidius, Poëtarum ingeniosis-  
simus apud Cimmerios collocauit, dum ita Meta-  
morphos. Lib. XI. Fab. 12. lusit:

Est propè Cimmerios longo spelunca recessu,  
Mons cavus, ignavi domus & penetralia somni:  
Quò nunquam radiis oriens, mediusve, cadensve  
Phoebus adire potest, nebulæ caligine mistæ  
Exhalantur humo, dubiæq; crepuscula lucis.  
Non vigil ales ibi cristati cantibus oris  
Evocat Auroram; nec voce silentia rumpunt  
Solicitive canes, canibusve sagacior anser,  
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,  
Humanæve sonum reddunt convitia linguae.  
Muta quies habitat, saxo tamen exit ab imo,  
Rivus aquæ lethes, per quem cum murmure labens  
Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.  
Ante fores antri fœcunda papavera florent,  
Innumeræq; herbæ, quarum de laetè soporem  
Nox legit, & spargit per opacas humida terras.  
Janua, ne verso stridorem cardine reddat,  
Nulla domo tota est, custos in limine nullus.  
At medio torus est hebeno sublimis in antro  
Plumeus, unicolor, pullo velamine teatus,  
Quo cubat ipse Deus, membris languore solutis,  
Hunc circa passim varias imitantia formas  
Somnia vana jacent totidem, quot messis aristas,  
Sylva gerit frondes, ejusq; littus arenas.

Placet hæc de Somno Fabula , sed perplacet potius Basiliī , Cæsariensis Episcopi , Ecclesiasticorum Scriptorum eloquentissimi , monitum , qui , gratias age illi , inquit , scil . VERO DEO , qui mirabiliter nos per somnum ab assiduis laboribus recreat , & modicæ quietis beneficio , rursus ad vigorem virium reducit . Sanè enim quando per diurnos labores , meditationes , studia , curas , motusq ; varios spiritus exhausti , & membra defatigata sunt , eccquid gratius nobis accidere potest ipso Somno ?

-- quem cura fugit , qui corpora duris fessa ministeriis mulcet reparatq ; labori .

Contra anne summè nobis molestum est , si vigiles ducere no- ðes , morbi , dolores & cruciatus variii imperent ? O aurea ergò Sanitatis tempora ! ubi justo tempore vigilias diurnas nocturnus excipit Somnus , nam & hic

-- -- amant alterna Camœnæ .

O tristia verò hominum fata ! quando moderationem & tem- peramentum aut somnus aut vigiliæ excedunt . Dixerim ta- men , immoderatum somnum pessimum esse , hic namq ; , non cum Menandro mors ad breve , sed ad longum tempus , non aliquot tantum , sed plurium horarum , imò dierum obitus dici mere- tur . Hic cùm exiguum vitæ tempus datum sit hominibus , velut publicanus non dimidium tantum ejus , prout Plutar- chus olim dixit , sed plurimum aufert . Proinde Soporosi Me- dicis dicti affectus meritò ab iisdem considerantur , diligenter indagantur , & quæ ad curationem ipsorum faciunt perqui- runtur : Inter eosdem autem cùm Lethargus non postremum habeat locum , dignus mibi visus est , ut istum in Disputatione hac Inaugurali , ex Decreto atq ; Consensu GRATIOSISSI- MI ORDINIS MACHAONII ALTDORFFINI ha- bendā , declarandum sumserim . Faxit Deus ut hoc meum propositum cedat feliciter !

## THESIS I.

**C**um ex sententiâ Illustris Scaligeri, ante omnia Vociſ uſum cognoscere oporteat, & Philosophiæ Consulti Sapientissimi approbent, δέχλω τῆς παθευσεως εἴρας τὸν τῶν ἐνομάτων Πτίσκεψιν, me quoque, in Genealogiâ nominis Lethargi declarandâ, primūm occupatum esse addecet.

## TH. II.

Est autem nomen *Lethargus*, à Medicis in latinam ci-vitatem receptum, origine Græcum; dicitur enim ληθαργός à ληγη, & δέργος, i. e. *oblivio iners*, uti tradit Christianus Beccanus de Origin. Lat. Ling. p. m. 456., vel à notissimis duobus accidentibus ληθη & δέργια, *stupida*, *somnolenta*, & *pigra rerum omnium oblivio* denominatur; est enim Lethargicorum, *oblivisci* sui, nam memoriam, inter somnum obtusum, rei nullius habent, adeò ut etiamsi excitentur, statim in somnum relabantur, ceu scribit Johann. Conrad. Dietericus in Fatreo Hippocratico num. 501. p. m. 706. Quintus Serenus Sammonicus nominis rationem à letho deduxisse, aut illuc allusisse ad minimum videtur, dum enim lethargiæ expellendæ rationem tradit, ita præfatur:

*Deniq̄ nonnunquam somno sic membra gravantur,  
ut conjungatur letho, sopor albus, acerbo.*

Alias Latinis affectus noster *Veternus*, *altus ac gravis sopor*, *marcor*, & *inexpugnabilis dormiendi necessitas* vocatur, Germanicè audit die *Schlafflucht*.

## TH. III.

*Homonymia* etiam hīc attendenda est; usitatisimum namq; nomen *Lethargus* generaliter sumtum omnem affectionem soporosam, sive somnum profundum & dif-

ficilis expergefactionis, complectitur, prout testatur *Sennertus Prax. Med. Lib. I. part. 2. cap. 20. Willis. Tr. de Anima brutorum. part. 2. patholog. cap. 3. & Dietericus l.c.* Specialiter autem & propriè pro somno profundo cum febre & delirio accipitur.

## TH. IV.

Sed satis de nomine, pergo igitur ad *Definitionem*, qualem, si non ad Logicorum normam quadrantem, Medicam tamen, hoc est, usui sufficientem (uti loqui amabat immortalis gloriæ Vir Beatus Casparus Hofmannus) dabo sequentem: *Lethargus est imminutio ac depravatio functionum principum animalium, cum inexpugnabilis dormiendi necessitate, ac febre lentâ conjuncta, ortum habens ab impeditu in Cerebro Spirituum animalium expansione irradiativâ, per varias causas introductâ.*

## TH. V.

Generis loco posita est imminutio ac depravatio functionum principum animalium, velut symptoma ad primam classem symptomatum, scilicet actionum læsarum, pertinens. Est autem aëtio læsa imminuta sensus communis, quod patet ex inexpugnabili dormiendi necessitate, aëtio verò depravata ratiocinationis & imaginacionis, quod delirium indicat; memoria quoque imminutè vel abolitè læsa est, siquidem aliquando omnium rerum oblivio adest, ita, ut affecti nec de rebus ingerendis aut egerendis sint solliciti, licet præter id quod naturæ inevitabilis exigat necessitas, serio etiam admoneantur; Urget quoque aliquando tanta oblivio, ut si os aperiant, obliviscantur tamen iterum claudendum esse; imò morbi hujus insultum graviorem passi, si quando in declinazione ejus vi quasi excitantur, rerum omnium oblii, haud priorum aut amicorum nominum amplius recordantur, uti testatur. *Willis l.c.*

## TH. VI.

TH. VI.

Jam verò cùm omne Symptoma præsupponat morbum, meritò quæritur, qualis hīc adsit morbus ? Respondeo, adesse morbum cerebri intemperiei frigidæ & humidæ, vel clariùs, pituitosæ, serofæ, itemq; vaporosæ, & narcoticæ &c. cum quo sæpè concurrit morbus meatuum Cerebri, præter naturam angustatorum, compressorum, repletorum, aut obstru&torum. Cartesiani siquidem in hoc morbo accusant cerebrum quoad poros ipsius, qui si sint obstru&ti, spiritus animales haud per eos ad munia pristina permeare possunt, unde propensionem talem in somnum esse contendunt, vid. Dolæus in Encyclopæd. Medic. Theoret. Practic. l. 1. c. 5. p. m. 71.

TH. VII.

Subiectum igitur sive pars affecta est Cerebrum, tum  
quoad substantiam suam corticalem & cinericiam, quam  
medullarem & albicanem, consideratum. *Sylvius* equi-  
dem *Prax. l. 2. c. 29. §. 18. & 19.* locum primariò affectum  
in lethargo non vult esse cerebrum, verum totam sanguini-  
nismassam, sive vas a sanguinem circumvehentia; Nam  
quamvis caput grave sit lethargicis, id tamen à vaporis  
bus aut humoribus cum sanguine ad Cerebrum delatis  
exoriri existimat, ut non opus sit ad peculiare & prima-  
rium Cerebri vitium recurrere: Sed videtur Clarissimus  
Vir subiectum causæ morbificæ, cum morbi subjecto,  
confundere.

THEORY. *IIIX.*

Pergo ad Causarum Scrutinium, quas inter primò considerandam sese fistit causa proxima, sive immedia ta, hanc verò dixi in definitione, esse impeditam in Cerebro Spirituum animalium expansionem irradiativam. Nam quemadmodum in statu naturali Spiritus animales

ex

ex subtilissimo sanguinis chyloso-aërei flore geniti, particulis suis elasticis Cerebri poros ac meatus omnes blandè distendunt, singulosq; ejus anfractus instar ætheris subtilissimi luminosi permeant & irradiant, tūm insuper liberrimo motu per omnes Cerebri gyros, anfractus, & diversas concamerationes agitati, functionum principum exercitiis obeundis inserviunt; ita in præsente hoc affetu præternaturali expansionem istam irradiativam impeditam esse, ex functionum læsione manifestè appetet.

TH. IX.

Interim hæc ipsa irradiatio expansiva in Cerebro variis modis impediri solet: Nempè (1) quando particulæ plures pituitosæ viscidæ à sanguine consimili ad Cerebrum adve&tæ, atq; inter ejus poros depositæ sunt, ceu exemplum **Viri crassi pituitosi** in lethargum incidentis memorat *Petr.Forestus, Observ. & Curat. Medicin.Lib.X.obs.IV.* Vel (2) quando serosa colluvies, aut lymphæ vappida iners, aut recrementa sulphureo-salina, tartarea, scorbutica &c. in sanguine abundantia & coacervata, cum eodem in Cerebri anfractus exteriores irruunt, ejusq; poros & meatus corticales non tantum subeunt, sed & (ubi gravius fuerit malum) successivè ad medullarem usq; substantiam aliquantum se diffundunt. Pro ulteriori confirmatione *Willisium adducere juvabit*, qui in multis ab hoc morbo defunctis plicarum Cerebri interstitia aquâ lympidâ repleta, quin & extimam ejus substantiam à nimio madore mollem & minus firmam, insuper in nonnullis cavitates interiores lymphâ turgentem, & totius Cerebri compagem hydrope seu potius diluvio inundatam reperit. (3) Quando propter abscessum particulæ purulentæ meatus Cerebri subeunt; ita namq; *Schenckius Observ. Medicin.Lib.I.obs.110.* refert in muliere ex lethargo defun-

Età abscessum in anteriori Cerebri parte repertum fuisse, & pus interiori Cranii ossis parti adhærescens, quod & è naribus paulò antè mortem irritatis profluxerat; Similem observationem adducit *Forestus Observ. & Curat. Medicin. Lib. X. obs. II.* (4) Quando cerebro à tumore compresso, ejus meatus angustiores fiunt, sic annotavit *Platerus in Prax. L.I. in Nobili Bonecourtio stuporis soporosi causam post mortem deprehensam fuisse glandulam magnam supra corpus callosum genitam, cum humoris copiâ.* (5) Quando à Sulphure quodam vaporoso viscofo ligantur Spiritus, vel ab aciditate ejusdem *Vitriolicâ coagulantur*, vel à Narcosi stupefaciente fascinantur, quò minus ad sensuum organa & consueta munia prorum-pant. Vid. *Henricus Petrus in Nosologia Harmonica Dissert. 5. §. 24.* Ita fumus carbonum, maximè fossilem, terræ bituminosæ combustibilis, quâ Hollandi & Angli pro lignis utuntur, fumus picis, opopanacis, galbani, aliorumq; gummatum, vapor vini, croci, amygdalarum amararum &c. sulphure narcotico somnum inducunt, quia ex sententia Hermeticorum *gas usq; iales tenues incrassant, mobiles figunt, volatiles congelant:* Similiter ex fumo fornacis recenter exstructæ lethargum subortum esse testatur *Hildanus Centur. 4. observat. II. fol. 22.*, citatus à *Matthia Morono in Directorio Med. Practic. p. 262.* Adhæc ex incauto opiatorum usu similem effectum introduci posse omni dubio vacat.

*T.H. X.*

Ceterum causæ mediatæ propinquæ & antecedentes possunt esse humores, in corpore adhuc fluuantes, pituitosi, viscidí, serosi, aquei, purulenti, aut alii Sulphure vaporoso, viscoso, narcotico, corrupti, aut austerritate vitriolicâ depravati, qui dein ad Cerebrum delati causæ

proximæ naturam induunt. Huc quoq; pertinent, temperamentum pituitosum, frigidum, serofum, dæbilis laxa vitiosaq; Cerebri constitutio, ætas senilis ob pituitæ abundantiam & caloris defectum, vel juvenilis etiam, ob copiosam humiditatem prædominantem, vid. *Hipp. S. 3. aph. 30.*, cacochymia, cachexia, phrenitis, abscessus, aliiq; morbi prægressi, aut prorsus non, aut malè judicati, recrementa morbida in sanguine relinquentes, qui eadem dein intra Cerebrum deponere quandoq; solent.

## TH. XI.

Pergimus ad causas mediatas remotiores, sive Procatarcticas: Quas inter (1) accusandus venit Aër, humiditatibus multis imprægnatus, aut frigore exasperatus, sicuti *Hippocrates* hyeme lethargum sæpius fieri in *Sect. 3. aph. 23.* confirmatū reliquit. (2) Cibi crassi, viscidī, vaporosi, leguminosi, ac bulbosi, ansam huic morbo præbent, hinc allii ac cœpæ usum accusat *Avicenna Lib. 3. Fen. 1. tr. 3. c. 7.* Potus vaporosus crudus, aut copiosior usus vini generosioris, aut Spiritus vini, aliorumq; um ardentium, in culpâ quoque sunt, nec minùs januam pandunt affetti proposito compotationes nocturnæ, & crapulæ frequentiores, idq; cum primis, si homines iis dediti mox se tradant somno; hic enim alias inter causas procatarcticas (3) huc concurrit, præsertim nimius, cui si indulgeatur, necessariò fit, ut Cerebro vaporibus repleto gravetur caput, Spiritus obscurentur, omnes sensuum mentisq; vires torpore & ignaviâ debilitentur, motus humorum naturales retardentur, crudi pituitosi succi, & omnis generis supervacanea, exaggerentur; vid. *Clariss. Charleton. Exerc. Pathol. 6.* (4) Paria cum somno facit quies nimia, utpote quæ Spiritus crassos, torpidos, & ad omnes mentis functiones valdè ineptos reddit. (5) Excernenda pituitosa,

si omissâ evacuatione consuetâ, retineantur, malo nostro materiam offerunt; ita sudatio etiam omissa, purgatio neglecta &c. apprimè hûc morbosum symbolum conferunt: *Willisius* insuper notat, acidulas in quantitate largiori potas, nec per urinam sufficienter rursus evacuatas, lethargum minari. Nec (6) Animi Pathemata, cum primis tristitia, mœrorq; diuturnus, terror &c. quæ Spirituum expansionem irradiativam cohibere solent, hîc culpâ vacant

## Th. XII.

Visis Causis progedior ad Signa hujus affectus Diagnistica, eaq; demonstrativa, affectum sive lethargum demonstrantia, sunt autem sequentia: scilicet, inexpugnabilis dormiendi necessitas, propter Spiritus animales ab expansione irradiativa per causas supradictas impeditos & cohibitos introducta, dein oblivio, propter cerebri tractus à materiâ heterogeneâ repletos, vel propter animalium Spirituum consuetum motum cohibitum, vel propter vestigia Cerebro impressa deleta, subsecuta; tûm delirium propter ideas menti falsè repræsentatas excitatum; deniq; febris (per pulsum magnum & citationem exspirationem calidam, linguæ & faucium ardorem, sese prodens,) ex pituitâ in Cerebro putrefcente juxta antiquorum placitum, vel potius ex heterogeneis particulis sanguini confusis, vel ex impedito Cordis motu producta; hic enim motus cordis segnior dum propter Spirituum debiliorem influxum adest, sanguis necessariò in fluxu suo consueto retardatur, dum interea nihilominus ipse obicem quendam offendens impetuofius in se revolvi & agitari incipit, non secus ac videmus aquas placide defluentes, si ad ripas obicem quendam offenderint, citatiore motu in gyrum verti.

## TH. XIII.

Nec minùs notanda sunt signa Distinctiva, quæ monstrant, quâ ratione affectus noster ab aliis sibi affinibus & cognatis morbis discerni queat: distinguitur ergò Lethargus à Somnolentiâ simplici, per somnum graviorem, à Caro per febris præsentiam, utpote quæ in Caro abest, dein Caro affecti vix oculos aperiunt, nec respondent, lethargici verò respondent aliquid motis leviter labiis, sed statim rursus in somnum delabuntur, vellicati tamen sentiunt, integrâ manente respiratione. Porrò distinguitur à Catalepsi lethargus, quia ibi ægri oculos apertos, cum corpore toto ad instar Marpesiæ rupis immobili, habent, hic verò oculi obveniunt ferè semper clausi. Prætereà ab Apoplexiâ præsentem affectum discernere non adeò difficile est; Apoplectici siquidem subitaneo functionum animalium exercitio privantur, respiratio est difficilis; secus ac evenit in lethargo, qui ægris successivèprehensis liberam magis respirationem relinquit.

## TH. XIV.

Transimus ad signa Prognostica, *Eventum morbi, tempus, & modum eventus* manifestantia: Quod primi generis concernit signa prognostica, exitiale censetur malum, si febri malignæ vel morbis aliis cephalicis, aut affectibus convulsivis, aut doloribus gravioribus, in corpore cacochymo aut valetudinario, aut in ætate senili constituto supervenerit, vid. *Willis. l. c.*, nec minùs periculum summum adest, si æger derepente instar apoplectici lethargo corripiatur, & morbo ingraescente tendinum subsultus, spasmi, tremores, motusq; convulsivi superveniant, porrò si caput frigidè sudet, inrenuncium mortis adesse Practici experti affirmant: Major verò salutis spes affulget, si somnus non adeò profundus, respiratione

ratio liberior, facultatum læsio tolerabilis in corpore juvenili observetur; Vel si affectus corpori aliás fano & robusto, citra pravam diathesin humorum, à causis evidenter fortuitis e. g. crapulâ, narcoticorum usu, capitis iectu non nimis violento &c. inductus fuerit, atq; symptoma paulò remittere mox incipient.

T<sub>H.</sub> XV.

Quod ad secundi generis signa attinet, non opus est, ut de iis multum simus solliciti, morbum namque acutum esse constat; & Hippocr. Lib. II. de morb. text. 63. Lethargicos in septem diebus mori, si verò hos effugerint, sanos evadere pronunciat.

TH. XVI.

Quod tertii generis tandem signa concernit, in lethargo parotides supervenientes, vel apostema in Cervice obortum, propter materiæ morbificæ metastasim, à loco nobiliori ad ignobiliorum factam, salutare indicium præbent, quale etiam exhibet materiæ morbificæ manifesta per sudorem, urinam, aut alvi fluxum, oculorum aut narium stillicidia, auriumq; fluxum purulentum, aut sternutationes facta, excretio, cum ægri evphoriâ conjuncta. Hippocr. in Coac. prænotionib. qui ex lethargicis servantur, scribit plerumq; empyicos fieri; circà quod prognosticon monet Lazarus Riverius Prax. Medic. Lib. I. c. 2. verum empyema ex lethargo genitum, vix ulli videre contigisse; sed veritati magis consentaneam esse Mercurialis interpretationem, quæ vult, vel empyicos vel suppuratos hoc loco esse intelligendos, quibus per aures vel nares materia purulenta evacuetur. Docuit enim Galenus Comm. Aph. 7. Sect. 5. & Aph. 44. Sect. 7. per empyema Hippocratem, non solum quæ in thorace, sed quæ etiam in singulis partibus sit, suppurationem intelligere. Quicquid sit, nec tamen

impossibile esse crediderim, verum empyema lethargo succedere, à Willisio persuasus, materiam illam morbificam, quæ in capite defixa veternum excitaverat, postea à sanguine rursus resorptam, & in pectori depositam empyema aut sputum instar tabidorum producere posse, tale siquidem ab ipso in febre Epidemicâ soporosâ, quæ regnavit Anno hujus seculi sexagesimo primo, annotatum & observatum legitur. Ceterum si lethargus in apoplexiā aut epilepsiam degeneret, conclamatum ac Charonti naulum persolvendum esse ajunt.

## TH. XVII.

Sed ordo & tempus monent, ut ad *Curationem* affe-  
ctus nostri sat gravis me recipiam, quam ad imitationem  
**Practicorum celebrium**, in eam, quæ in Paroxysmo, &  
eam, quæ extra Paroxysmum locum habet, distingue-  
re commodum visum est.

## TH. XIX.

In Paroxysmo igitur palmariæ *Indicationes* binæ ob-  
servandæ erunt: I. Ut æger excitetur, II. Spirituum anima-  
lium expansio irradiativa in Cerebro impedita, quantum licet,  
liberetur, per maturam obstaculorum perspectorum remotionem.

## TH. XIX.

Indicationi primæ inservient objecta vehementiora  
sensuum externorum organis oblata; nimirum ægri au-  
res clamore impleantur, vel is nomine proprio, ore auribus  
proprios admoto, fortiter compelletur; mox frictio-  
nes asperæ, vellicationes & puncturæ corporis, aut ligatu-  
ræ dolorificæ, non tamen longius continuandæ, hinc in-  
de instituantur, vel titillationes sub axillis fiant, vel plantæ  
pedum cum scopulis fetigeris verrantur; *Plinius Lib. XXII.*  
*cap. 13. Urticam lethargicos expergiscere, scribit, tactis cruribus,*  
*magis fronte.* Nec alia quæcunq; intermittat Medicus,

qui-

quibus ægrum excitari posse crediderit, ita sanè singula-  
rem modum, quo lethargo oppressus quasi in vitam re-  
vocatus est, enarrat vel effingit. *Horatius Sermon. Lib. II.*  
*Satyr. 3.*

*Pauper Opimus argenti positi intus, & auri,  
Qui Vejent anum festis potare diebus  
Campanâ solitus trulla, vappamq; profestis.  
Quondam lethargo grandi est oppressus: ut hæres  
Jam circum loculos, & claves latus, ovansq;  
Curreret. Hunc Medicus multum celer, atq; fidelis  
Excitat hoc pacto: mensam ponit jubet, atq;  
Effundi saccos nummorum, accedere plureis  
Ad numerandum: hominem sic erigit, addit & illud:  
Nî tua custodis, avidus jam hæc auferet hæres.*

**Sed hæc** *oīs ēv παρόδω.*

### *TH. XX.*

Postmodum multum è re fuerit, si Θ volatile urinæ, aut Ή us \*ci urinosus, in vase oblongi colli, aut spongia aceto rutaceo, vel aceto cum castoreo permixto, imbuta naribus admoveatur; deniq; loco epithematis fronti, temporibus, pulsibus, testibusq; applicetur; aut fiat acetum aromaticum acre, ex infusione Bacc. Juniperi, Lauri, Rorismarini, Zedoariæ, Sem. Sinapi, Nasturtii &c. quo crura ut & nares fricentur. Vel ex præscripto *Willisi* tempora & facies Ol. Succini aut balsamis cephalicis illinantur.

### *TH. XXI.*

Ut autem porrò Indicationi secundæ quoq; satisfiat, varia in Paroxysmo etiam adhibenda erunt remedia. Quòd si enim Ή uum animalium in cerebro expansio irradiativa, à particulis plurimis pituitosis viscidis, aut serosis aqueis, aut purulentis, cerebri poros ac meatus occu-  
panti-

pantibus, impedita fuerit; absq; mora injiciatur Enema aliquod, ad imitationem *Sennerti Medicin. Practic. Lib. I. Part. 2.c. 20.* vel *Costeri in tabulis affectuum præcipuorum Theoretico-Practic. p. m. 14.* ex cephalicis emollientibus ac evacuantibus, vel magis acre ac stimulans, ad imitationem *Friederici Deckeri in Not. ad Prax. Barbettian pag. 29.*, præscribendum, tūm ut primarum viarum excrementa subducantur, tūm ut materiæ morbificæ aversio aliqua à cerebro fiat; cum quibus parem fermè vim habent suppositoria acriora intrusa. Dein V. S. instituatur, nam tametsi copia sanguinis sui imminutionem postulans non adsit, aut ubiq; concurrat, illa tamen eatenus (ita me docente *Willisio*) juvat, quatenus vasa sanguine depleta, serum aliosq; humores in Cerebro depositos aptius resorbent. Locus pro eâdem celebrandâ sit vena brachii, nunc dextri, nunc sinistri, prout circumstantiæ à prudente Medico attendendæ suaferint; Willisius equidem in hoc casu venam jugulari præ brachiali pertundendam esse consulit, quoniam hoc modo sanguis intrà capitis sinus plurimum coacervatus, & forsitan stagnans, in circulationem æquabilem facilius reducetur; vereor autem, ne ex colli constrictione cum fasciâ, quæ talem Venæsectionem præcedere debet, in majus malum æger incidat; ne dicam jam de dubiis, quæ contrà eandem sectionem proponit *Leonhardus Botallus Oper. Medico-Chirurgic. à Clarissimo Horne editorum p. 88. & 334.* Ceterum Venæsectionis vices in nostro affectu, si corpus sit senile aut debile, Cucurbitulæ scarificatæ, supplere poterint.

## TH. XXII.

Multū quoq; prodesse Vesicatoria nuchæ, & aliquando post aures, imò & cruribus applicata, experientia loquitur: nec minùs pro exturbandâ cerebri poris

ac

ac meatibus inclusâ materiâ morbificâ insignem vim ha-  
bent sternutatoria acria, ex pulv. rad. hellebor. albi, lil.  
convall. nigell. majoran. salv. fl. anthos. &c. addito ca-  
storeo, ac adspersâ unâ alterâvâ Ol. majoran. vel lavendu-  
læ destillat. guttâ, naribus insufflata. *Frid. Deckerus in Not.*  
*ad Prax. Barbettian. p. m. 36.* sequentis Errhini, ex Turbith.  
mineral. ३८. & glycirrhiz. ३८. pulv. parati, tantillo na-  
ribus indito ac inflato lethargicum liberavit, dum tanta  
puris paucò sanguine mixti copia, non tantum ex auribus,  
verùm etiam faucibus secuta est, ut nisi oculis suis vidis-  
set, ipsi credere impossibile fuisset. Poterint insuper re-  
vulsionis gratia sinapismi plantis pedum admoveri.

## TH. XXIII.

Quodsi verò Spirituum in Cerebro expansio irradia-  
tiva impedita fuerit, propter sulphur vaporosum narcoticum,  
ex crapulâ, usu excessivo opiatorum, fumis &c.  
suggestum, ægro sine morâ Emeticum propinandum  
erit; e. g. Aqua benedict. Rulandi, aut Tartar. emetic.  
cum Aq. Cerasor. nigr. &c. dein exhibetur Tinctura Ca-  
storei, aliaq; inde parata medicamenta, tanquam opti-  
ma contra narcoticorum noxas antidota.

## TH. XXIV.

Prætereà tūm hîc, quām alibi, patientis ori mixturæ  
& potiones Spirituofæ, ex cochleari subinde infunden-  
dæ sunt: E. g.

R. Aq. puleg.

betonic.

flor. tiliae

lil. convall. āā. ३vj.

hirund. cum castor. ३j.

Syr. de Stæchad. ३८.

Liq. C. C. succinat. vel \* succinat. ३j.

M. dr. ad Vitr. pro Potione.

Admiseri etiam poterint Θia volatilia, tām simplicia, quām oleosa aromaticā, & pulveres convenientes, hosq; inter pulvis antilethargicus specificus *Dolæi in Encyclopæd.* p. m. 21. descriptus.

### *Th. XXV.*

Et hæc de Curatione in Paroxysmo dicta sufficient: proximum nunc est, ut Curationem extrā paroxysmum instituendam subjungam; cui tametsi remedia haec tenus adducta apprimè pariter inserviant; sequentes tamen Indicationes ulterius attendendas proponere lubet. I. Ut futurus materiae morbificæ, in Cerebro & uum animalium expansionem irradiativam impeditur, proventus inhibeatur. II. Materiæ morbificæ peccantis reliquæ evacuentur. III. Conveniens cerebri temperies ac tonus restauretur.

### *Th. XXVI.*

Quapropter pro Indicationibus hisce in aëtum deducendis accuratam Diætam ægro afflito Medicus primum præscribet: Videlicet ut I. in Aëre versetur puro, temperato, claro, lucido; humidum autem vaporosum nebulosum, frigidumq; vitet, aut suffumigiis ex ligno Juniperi, Succino, Mastiche, Storace calamita &c. paratis corrigat. II. Cibo utatur laudabili, facilisq; digestionis, cinamomo aliisq; aromatibus modicè condito, vel, ex consilio *Dolæi*, fruatur jusculis caponum, gallinarum, ac pullorum gallinaceorum, herbis cephalicis aliisq; in farctorum, à laeticiniis verò abstineat; Potus sit vinum non musteum, sed tenue, longâ fermentatione exquisitè depuratum, vel celebratisimum hodie decoctum herbae Theè, cum ▽ fontanâ & pauco faccharo paratum, ad somnum compescendum Cerebrumq; siccandum usitatisimum, de quo vid. plura in *Theophilo bibaculo Clar. Pechlini*, & in scripto ex Anglico in latinum Idioma transposito,

to, cui titulus: Naturgemäße Beschreibung der Coffee, Thee, Chocolats, und des Tabacks. *III.* Somno minimè indulgeat lethargicus, sed ab eo mature excitetur, aut per amica & jucunda colloquia impediatur. *IV.* Motus corporis eidem quoq; commendetur, per deambulationes amoënas, saltationem, equitationem, aliaq; corporis exercitia inducendus. *V.* Serosa, pituitosa, aliaq; sanguinis recrementa, ad naturæ & consuetudinis leges, per alcum ope enematum aut purgantium, tum per sudationem, scarificationem, Venæsectionem, hæmorrhoidum apertione &c. mature eliminentur. Diurisis præ-primis proritetur, quia, ut *Aurel.* habet, multi liberati ab Urinæ interceptione moriuntur, vid. *Petræus l.c. Th. 42.* *VI.* Circa animi demum pathemata notet æger, ut

-- -- -- tristitiam & metus  
*Tradat protervis in mare Creticum*  
*portare ventis, --*

Iætitiæ autem & hilaritati studeat, eumq; in finem amicorum conversationibus frequenter intersit, aut Musicæ deliciis se recreet.

### *Th. XXVII.*

Iis, quæ circa diætam proposui, probè observatis, aliorum etiam remediorum, primæ Indicationi in *Th. 25.* antè designatæ inservientium, conjungendorum usus feliciorē consequetur efficaciam. Ad futurum igitur materiæ morbificæ pituitosæ, viscidæ, & uum animalium expansionem irradiativam in cerebro alias impedituræ, proventum inhibendum, usurpentur variis formulæ includenda medicamenta, pituitam viscidam alterantia & corrigentia à *Fr. Sylvio Prax. Medic. Lib. XI. cap. 29. §. 29.* adducta, tum alia attenuantia, aromaticæ, salina volatilia acria, acida incidentia, itemq; tām salina fixa lixiva dicta,

quām salsa & enixa , ex Acidi & Alcali copulā genita, uti Tartarus vitriolatus , Arcanum duplicatum, Arcanum tartari Noricum &c. quibus Mercurialia cātē jungi poterint.

## TH. XXIX.

Nec minūs ad futurum materiæ serosæ aut lymphæ vappescentis ( si quando illa peccaverit) proventum præcavendum erit respiciendum, potum parcum ægro concedendo, vel decoctum diaphoreticum & diureticum , ex Rasur. lign. Sassafras. Juniperi, Cortic. guajac. Rad. caryophyllat. Taraxac. Sem. milii & fœniculi subinde propinando, cuius uni alterive dosi, Syrup. quinq; Rad. ȝj, & ȝ-us eis dulcis gtt. viij. vel x. addi poterint. Fonticuli etiam hīc è re esse possent.

## TH. XXIX.

Porrò ad noxam ulteriorem , à Sulphure vaporoso, viscoso, vitriolico, aut narcoticō metuendam , præcavendam , ægro propinentur ad exemplum *Sylv. Prax. Medic. Lib. II. cap. 27. §. 72.* acida, cum aliquali acrimoniâ conjuncta, uti sunt Spir. nitri, Spir. vitrioli philosophicus, Spir. veneris. Hermetici pro curatione hīc necessarium esse ajunt Sulphur quoddam non narcoticum & somnificum, sed contrariâ virtute præditum, taleq; extrahi tradunt vel ex ipso Sulphure vulgari, ut Oleum Sulphuris, Spiritum, ac quintam essentiam Sulphuris, vel ex aliis in quibus tale Sulphur delitescit. *Sylvius l. cit. §. 75.* spiritus salis & vitrioli volatiles haud parvi faciendos esse tradit, de quibus consulendus *Glauberus* in eorundem præparatione. Si ab incauto opiatorum usu affectus noster exortus fuerit, eadem remedia & hīc locum habent, quæ contrà illa ante in Curatione paroxysmo debitâ laudavi.

## TH. XXX.

Quod secundam concernit extrà Paroxysmum Indicationem, pro materiæ morbificæ peccantis reliquiis evacuandis, convenient: (1) Purgantia ex Gialappa, Aloë, Agarico, Scammonio sulphurato, Mercurio dulci &c. concinnanda, addito Castorei tantillo. E. g.

R. *MPilul. tartarear. Bontii 3j.*

*Resin. jalapp.*

$\ominus$  *vol. succin. aa. gr. iiiij.*

*tartari gr. ij.*

*Ol. major. destillat. gtt. iiiij.*

Mr. cum Tinctura castorei & succin. F. pilul. n. xv.  
inaur. dr. ad scatul. pro 1. dosi.

Vel Pilul. Arabic. de succino Cratonis, de agarico, cochiæ Rhasis, Mastichinæ &c. in certâ dosi singulis hebdomadis semel bisve paulò ante cœnam usurpentur. (2) Diaphoretica & Diuretica, alcalia volatilia, uti  $\ominus$  volatile C.C. flor. \*ci, Lig. C. C. succinatus; ac fixa, uti  $\ominus$  ia lixiva quævis; tūm alcalina  $\ominus$  inum stimulum in sinu gerentia, sicq; incidentia simul & attenuantia, uti sunt Ocul.  $\circ$ , corallia, Terra sigillata &c. (3) Sternutatoria *suprà in Th. 22.* jam laudata, vel Errhina ex Aq. majoranæ, Succo betonic. pulv. rad. Ireos & nuc. Moschat. paranda. (4) Masticatoria & Apophlegmatizantia. E. g.

R. *Rad. Pyrethri,*

*Irid. Florent. aa. 3f.*

*Sem. Staphisagr.*

*Mastich.*

*Cubebar.*

*Tabac.*

*Spec. Diambr. aa. 3j.*

Pulverisata excipe c. f. q. Cerae F. Trochisci masticandi,  
sæpiusq; in ore volutandi. Vel

R. *Pulv. NM.*

*Caryophyll. arom.*

*Sinap.*

*Piper. alb.*

*Pyrethr.*

*Zingib. āā. Θβ.*

*Mell. anthos. ζβ.*

Mr. hōcq; inungatur palatum.

(5) Vesicatoria l. c. pariter à nobis jamdum commen-data, quorum loco si setaceum aut fonticuli magis pla-cuerint, per nos esto. (6) Cum his scarificatio, hirudi-numq; admotio in assuetis, non absq; felici successu, con-jungi poterint.

*Th. XXXI.*

Reliquum nunc est, ut circumspiciam, quomodo tertiae Indicationi, quæ convenientem cerebri tem-pe-riem ac tonum restaurandum esse postulat, satisfiat? Hic verò medicamenta tām interna quām externa cepha-lica præscribenda ac ordinanda erunt. Inter cephalica in-terna maximè proficia sunt (1) Volatilia sulphurea & bal-samica. Quosa aromatica, uti radix Galangæ, Zedoar. Ireos Florent. Herb. betonic. lavendul. majoran. salviæ flor. anthos, spicæ, cubebæ, succinata & castorina omnia, &c. atq; ex his factæ conservæ, aquæ, essentiæ, Ωus, Tincturæ &c. (2) Volatilia urinosa, uti Ωus \*ci, lil. convall. vo-latilis, C. C. viperarum. Utraq; enim Spiritus animales roborant, lympham vappescentem corrigunt, occlusosq; cerebri poros dilatant. (3) Acida volatilia sulphuri nar-cotico domando aptissima, uti Ωus Φli cephalicus, Ωus ♀is, Aq. magnanimitat. ex acido formicarum & Spir-i-

Spiritu vini constans. Ex quibus omnibus varias formulas quisq; pro lubitu componere poterit, quales hic apponere temporis penuria prohibuit.

TH. XXXII.

Inter Cephalica externa laudantur: (1) Pulveres rad.  
Ireos. nigellæ, mastichis, thuris, cubebar. cardamom.  
minoris, lign. aloës, santal. citrin. Fl. Ros. rubr. anthos  
lavendulæ, stœchad. cum moschi aut ambr. aliquot gra-  
nis, bombace excipiendi, & sindoni includendi pro cucu-  
phâ in capite gestandâ. (2) Balsami, ex Oleorum destilla-  
torum majoran. lavendul. cinamomi atq; cariophyllo-  
rum aliquot guttis, cum Oleo NM. expresso exceptis,  
componendi, quibus tempora, nares, vertex capitis, atq;  
nucha illinantur. (3) Fotus & linimenta capitis à Sennerto  
*Prax. Medic. Lib. I. part. 2. c. 20.* & Riverio *Prax. Medic. Lib. I.*  
*cap. 2. p. m. 36.* descripta. Sed nunc receptui cano, dum  
instans iter me non tām avocat, quām abripit; Deoq;  
ter Optimo ter Maximo pro suā ineffabili clementiā,  
protectione & benedictione hūc usq; mihi indultā hu-  
millimas grates persolvo; Tibi verò B. L. hunc ingenii  
mei fœtum, propter injunctam festinationem rudem atq;  
non satis expolitum, ita commendo, ut si quosdam ejus  
nævos offenderis, iis delendis gratiam, si defecatus obser-  
vaveris, iis veniam commodare velis. T A N T U M.

## COROLLARIA.

- I. Non dantur vera purgantia.
  - II. Fæculæ fæculenta sunt remedia, atq; adeò ad magisteria detru-denda, quibus cum pari passu ambulant.
  - III. Medicamentorum operationes diversæ, à corporis nostri partium diversa structura dependent.
  - IV. Ubi cunq; est concursus Acidi cum Alcali ibi effervescentiam oriri nemo ibit inficias.
  - V. Medicamenta, quò simpliciora, eò meliora.

\*\*\*  
**A**POLLINIS PATRIS ÆSCULAPI haud de-  
gener  
Amice VOLCKA MER E, doctas vigilias  
LETHARGVS exhibit Tuas, non somnia  
Hic cerno formis ludicris errantia,  
Sed mentis aciem vividam; haud caliginem,  
Sed inferentem lumina facem fulgidam  
Ingenii. Ovanti mox TIBI de prælio  
Muſæ accinent nostræ supremo, queis meum  
Votum precesq; serias jungam: ut DII  
Servent PATRIS TE gaudium CELEBERRIMI.  
Fausto pede igitur VOLCKAMERE nunc  
abi

Ad regna culta Ausonia, & incolumis redi!

*Ita*  
Nobil. & Clariss.  
Dn. DOCTORANDO,  
*animo quam versu meliore*  
*acclamat*

Johann. Mauric. Hoffmann,  
Philos. & Medic. D. Chem. atq; Anat.  
Prof. Publ. S. R. I. Academicus Cu-  
riosus, ac Facult. Med. h.t. DECANVS.

